

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. X - N. 1

1978

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1978

Decimo Anno

EX ACTIS PAULI PP. VI

Allocutio ad Sacram Romanam Rotam	5
Allocutio ad quosdam Episcopos Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis	11

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Sacra Congregatio pro Episcopis

De titulo tribuendo Episcopis officio renuntiantibus	18
--	----

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Litterae circulares ad Archiepiscopos et Episcopos Dioecesanos	19
Epistula Exc.mo ac Rev.mo D. Quinn	20
Epistula Em.mo ac Rev.mo D. Card. Salazar Lopez	21

Pontifícia Commissio de Spirituali migratorum atque itinerantium Cura

Decretum	23
Normae	24

COMMISSIONE	33
-----------------------	----

ACTA COMMISSIONIS

Opera Consultorum in apparandis Canonum Schematibus

I. Coetus studiorum de Sacramentis

Titulus IV: De Sacramento Paenitentiae	47
Titulus II: De Confirmatione	74

<i>II. Coetus studiorum de Iure Matrimoniali</i>	86
--	----

Notitiae	128
--------------------	-----

II

COETUS STUDIORUM DE IURE MATRIMONIALI

Prosequitur labor ad examinandas animadversiones ab Organis consultationis circa canones « de iure matrimoniali » factas (cf. Communicationes, 9, 1977, pp. 117-145 et 345-378) Rev. P. Huizing Relatore, Exc.mo D.R.I. Castillo Lara Moderatore.

Adunatio diei 17 octobris 1977

CAPUT VI
DE FORMA CELEBRATIONIS MATRIMONII

Can. 311 (CIC 1094)

§ 1. *Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram assistente loci Ordinario aut parocho aut sacerdote vel diacono ab alterutro delegato necnon coram duobus testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in cann. 315, 318 et 319.*

§ 2. *Assistere matrimonio est praesens requirere manifestationem contrahentium consensus eamque recipere.*


— Siquidem Sancta Sedes abhinc paucos annos concedere iam solet indultum ut, deficientibus ministris sacris, etiam laici assistant matrimonio tamquam testes qualificati, nonnulli petierunt ut de hac facultate dicatur in lege generali, ita ut Episcopi ordinario modo designare possint laicos ad hoc munus.

Consultores, unanimi consensu, opportunum censem ut de hac re provideatur per speciale indultum S. Sedis.

— Aliquae suggestiones factae sunt quoad § 2, nempe ut deleatur verbum « requirere », quia, secundum novum ritum, consensus non requiritur a ministro sed manifestatur a partibus inter se.

Consultores non ita sentiunt; nam locutio « praesens requirere manifestationem consensus » non respicit modalitates huius manifestationis sed factum manifestationis consensus, circa quod minister sacer non se habet mere passive.

— Suggestum est etiam ut dicatur « exquirere » loco « requirere »: haec propositio placet omnibus.



Placet etiam suggestio addendi in canone « eamque nomine Ecclesiae recipere ».

Tandem fit suffragatio an placeat haec nova redactio § 2: « Assistere matrimonio est praesens exquirere manifestationem contrahentium consensus eamque nomine Ecclesiae recipere ».

Placet 6, non placet 2.

Can. 312 (CIC 1095)

Parochus et loci Ordinarius vi officii valide matrimoniis non tantum subditorum, sed etiam non subditorum assistunt, intra fines sui territorii, a die initi officii, quandiu valide officio funguntur.

— Suggestum est ut alia locutio adhibeatur loco « subditorum », quae male sonat.

Consultores censem nemini iniuriam inferri si ipsi dicatur esse « subditum » legis.

— De addenda clausula « modo sint ritus latini », quam aliqui proposuerunt, Consultores concordant et ideo formula canonis initio ita mutatur: « ... vi officii valide matrimoniis assistunt, intra fines sui territorii non tantum subditorum sed etiam non subditorum, dummodo eorum alteruter sit ritus latini, nisi etc. ».

— Suggestum est etiam ut initio dicatur: « Loci Ordinarius et parochus ... » (placet omnibus).

— Nonnullis superflua visa sunt verba « a die initi officii quamdiu valide officio funguntur ».

Placet omnibus.

— Prae oculis habetur votum a Coetu de iure poenali factum ut addatur clausula « nisi per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati ».

Aliquis Consultor non concordat, quia ipse preferret ut in iure poenali, tamquam in loco proprio, fiat index omnium effectuum censoriarum.

Secundum alium consultorem autem haec clausula nihil efficit, quia matrimonium in casu esset validum ob *errorem communem*.

Fit suffragatio an placeat recipere hanc clausulam in canone: placet 4, non placet 3.

— Consultor quidam proponit ut formula canonis ita redigatur: « ... vi officii valide matrimoniis intra fines sui territorii non tantum subditorum etc. ».

Propositio omnibus placet.

— Aliqui petierunt ut addatur norma de potestate quam habent Ordinarius et parochus personalis assistendi matrimonio suorum subditorum.

Propositio placet et Consultores communi consilio hanc formulam redigunt:

Can. 312 bis

Ordinarius et parochus personalis vi officii matrimonio solummodo eorum quorum saltem alteruter subditus sit intra fines suae dictionis valide assistunt.

Can. 313 (CIC 1096)

§ 1. *Parochus et loci Ordinarius, quandiu valide officio funguntur, possunt facultatem intra fines sui territorii matrimonio assistendi, etiam generalem, delegare sacerdotibus et diaconis.*

§ 2. *Delegatio facultatis assistendi matrimoniis, ut valida sit determinatis personis expresse, immo si de delegatione generali agitur, scripto dari debet.*

— Suggestum est ut initio dicatur « Loci Ordinarius et parochus ... ».

Propositio omnibus placet.

— Nonnulli conquesti sunt de nimis lata facultate delegandi ad assistendum matrimoniis, quae in canone proponit et petunt ut aliquo modo limitetur, ex gr. ut delegatio generalis dari possit ad tempus certum tantum, vel ut cooperatoribus tantum stabilibus parochi dari possit. Est praeterea qui censeat quandam laesionem iurium parochi haberri si loci Ordinarius facultatem generalem matrimoniis assistendi aliis deleget.

Alii autem petunt ut etiam laicis facultas assistendi matrimoniis delegari possit; unus praeterea suggestit ut facultas delegata subdelegari aliis possit.

Aliqui Consultores censem considerandam esse propositionem admittendi etiam laicos ut testes qualificatos ad assistendum matrimoniis ideoque ut ipsis quoque facultas assistendi delegari possit. Agitur enim de munere quod non importat exercitium iurisdictionis et ideo non adsunt graves difficultates quae talem delegationem prohibit.

Unus Consultor concordat ut aliquid dicatur in Codice de possibiliitate delegandi laicos ad assistendum matrimoniis, addita tamen clausula « de licentia S. Sedis »; quod probatur etiam ab alio Consultore,